

# HISPANIA.

**H**ISPANIA Straboni corio bubulo humi protenso comparatur. Ea pelago undique cingitur, nisi qua parte Pyrenæi montis obiectu à Gallis diuiditur.

Habet Hispania ab Ortu, montem Pyrenæum: qui à Veneris templo siue Promontorio exortus, propè Illiberos (Colibre hodie) in Oceanum procurrit Britannicum, atque hac parte maximè angusta est; adeò vt ego, dum per Cantabriam iter facerem (inquit Vaseus) in Monte Diui Adriani, nisi fefellit aspectus, vtrumque mare me vidisse meminerim, Oceanum videlicet, cui eramus proximi: atque eminus, quantum oculorum prospectus ferre poterat, Mediterranei maris albicantes fluctus. A Septentrione autem clauditur Oceano Cantabrico; ab Occasu mari Occiduo; à Meridie Freto Herculeo, & mari Balearico. Diuiditur verò Hispania in tres Prouincias; Beticam, Lusitaniam, & Tarraconensem. Betica à Septentrione clauditur Ana fluuio; ab Occasu habet eam Atlantici Oceani partem, quæ est inter ostium Anæ & Fretum Herculeum; à Meridie mare Balearicum, quod est inter Fretum Herculeum, & Charidami promontorium, quod vulgò appellari dicunt Cabo de Gata. Ab Oriente terminatur linea ducta ab hoc Promontorio per Castulonem ad Anam fluuium. Dicta est Betica à Beti fluuio memorabili, qui Prouinciam totam intersecat: qui ortus in saltu Tygenfi, decurrit in Oceanum Atlanticum: atque hodie vocatur vocabulo Arabico Quadalquibir, quod sonat fluuium magnum.

Hæc Prouincia postèrius à Vandalis habitatoribus Vandalicia dicta, hodie quoque corrupto vocabulo Andalusia dicitur. Lusitania habet à Septentrione Durium fluuium, ab ostio ipsius, vsque ad pontem, qui est contra Septimancas: ab Occasu eam Atlantici Oceani partem, quæ est inter ostia Anæ & Durij fluuij: à Meridie Beticam: ab Oriente terminatur à Tarraconensi, linea ducta ab Oretania veteri, vsque ad pontem, qui habet è regione Septimancas. Lusitania habet nomen à Luso Liberi Patris filio, & Lysa eiusdem Liberi socio, cum Luso bacchante: vnde nunc, à Luso, Lusitania; nunc à Lysa, Lysitania dicitur. Reliqua Hispaniæ pars pertinet ad Tarraconensem Prouinciam, quæ à Tarracone Ciuitate nomen accepit, eius Prouinciæ Metropoli, Ciuitate ad excipiendas Principum peregrinationes, vt inquit Strabo, egregiè nata: & in qua Imperatores Iurisdictionem agitabant.

Complectitur hæc Regio Murcia Regnum, & Valentia, & Aragonum cum Cathalonia, Castellam veterem, Nauarra Regnum, Portugalliam Interamnem, Galletiæ Regnum, Asturias, totam Cantabriam. Hæc Vaseus in suo Chronico Hispaniæ, apud quem plura. Vide & Marineum Siculum, Marium Aretium, Damianum à Goes, Franciscum Taraffam. Et quos idem Vaseus in eodem Chronico Cap. 4. Hispaniæ scriptores recitat. Ex veteribus quoque consulendi sunt Cæsar, Strabo, & ceteri, quos Damianus à Goes in libello, Hispania inscripto, indicat.

Extat & libellus Viatorius Alonsi de Meneses Hispanicè scriptus, continens totius ferè Hispaniæ itineraria, in quibus etiam distantias locorum annotauit.







